



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Decimus. De spirituali profectu, duratione, & transitu à
Meditationis ad Aspirationis statum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

qua quiete interna fruaris, quæ Dei amore, & gustu afficiaris: Ac demum quæcumque ariditatem, modestiam, afflictionemque compereris, illam insigni constantia arripas, passionem, crucem, & mortem Saluatoris pro modo imitatura.

At ne in incertum curras, aut pugnes, quasi aërem verberans, noli propositum virtutis, mortificationis, & emendationis generali modo instituere, ac dicere, in omnibus me offerro ad quælibet toleranda, in omnibus imperfectioribus me emendabo: nam oportet, ut meditatio cordis tui sit, non alicuius indifferentis cogitationis: de corde enim particularia exeunt, scilicet inclinatio ad hoc, vel illud videndum, audiendum, dicendum, appetendum; & ideò in particulari quoque firmiter statuere habes hodie, vel usque ad proximum tempus orationis, verbi gratia, tertio in oculis, auribus, cogitationibus, &c. mortificabo me ipsam, sincero de super examine instituto sequenti oratione, dum iterum ad propositum ventum fuerit, an prius promissa præstita sint, nec ne, dura tui ipsius increpatione adhibita, si quidquam omissum deprehenderis; illicò de nouo iterum ex corde statuens particulares defectus emendare, ne illorum absurditate, iure merito ab interna pulchritudine rejiciaris.

Quod si meditatio cordis tui taliter fuerit constituta, spirituali profectui, virtutis, & mortificationis puritati, pro

modulo tuo satisfacies. nec contristaberis diutiùs, quam coætanei, aut fortè tota vita, in meditatione cordis tui in melius procedas: sic enim vtiliter meditando eris quoque in conspectu Dei semper, nec te affliget, imò gaudebis amplius, si & tu cum illis, qui in perfectioribus statibus Deo coniunguntur, adstiteris duntaxat. ideò etiam non leuiter, & sine prudentis mystici consilio, ad perfectiores status transibis; sed sit semper meditatio cordis tui in conspectu Dei, si ipsi ita visum fuerit, hoc modo paulatim, & mitiori modo, tenebras intellectuales, & voluntatis cupiditates conuersura in delectationem spiritualis vitæ, virtutis præstantiam, & Dei amorem. Ut autem mystico constet, quantum in spiritali vita profecerit, consequenter dicimus

De spiritali profectu, duratione, & transitu à meditationis ad aspirationis statum.

ARTICVLVS DECIMVS.

SACRÆ meditationis fidelis exercitatio, id tandem præstat, ut non solum inuisibilia a Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, utque in omnibus Dei operibus liceat aliquam bonam haurire cogitationem; sed etiam, ut interior spiritus ignorantia pedetentim corrigatur, substituto lumine rerum diuinarum, cuius pulchritudine facile etiam voluntas ad virtutem, & Dei amorem excitetur. quo in genere
ac-

a Rom. x.

accidit in interiori statu animæ, velut si quis ingentem, eamque per obscuram fabricam deiiceret, eo fine, ut in loco vacuo lumen, & calorem solis consequeretur.

Et talis in anima felix mutatio, non ita facilè, aut modico tempore perficitur; sed apud nonnullos tota vita perseverat; apud alios pluribus annis; pauciores tamen, postquam aliquot mensibus, aut medio circiter anno meditati fuerint, ad vltiora citius se præparantes, ex gratia, & diligentia, explicitum meditandi modum deserunt, & aspirationis facilitatem sequuntur: ita tamen, ut ad cautelam, & ne diuagari contingat, si aridiores forent, ad aliquam meditationis propositam materiam, confugere possint. Qui autem tota, aut penè tota vita, fructuosè explicita meditatione occupantur, frequenter magno spiritus solamine orationes iaculatorias, & aspirationes commiscent; in

praxi enim impossibile est aliter contingere, cum aspirationes scintillæ sint amoris excussi à meditatione.

At cum certò didicerit meditans, se aspirationum vsu facilius Deo coniungi, & resolutò magis animo mortificationis, & virtutis molestiam subire, securus ad status aspirationis, modos, & regulas transeat; siue multum, siue parum temporis in meditationis explicito studio impenderit; præsertim cum experientia didicerit, quibuscunque meditandi modis, nihil sibi amplius accedere profectus, & ob internam molestiam, quasi meditandi impossibilitatem; in aspirationis autem vsu benè omnia peragendi facilitatem experiri. Atque hisce de statu meditationis positus, necessario hoc loco ad securam utilitatem praxis, quædam interponenda sunt, quæ ad omnes status primæ huius partis referuntur.

*a De his Conform.
habet Ioan. à Cruce asc. mont. l. 2. c. 13.*

DE SPECTANTIBVS AD STATVS PRIMÆ PARTIS IN COMMVNI

DECISIO QVINTA.

NE aut Scholastici ingenium, aut Practici tædium, iusta commotione stomachari videantur, quod crambe recocta, iteratisq; vicibus inuoluantur, quæ separatim, & ordinatè dicenda forent; hinc documenta quædam, ceu generales regulas statibus primæ Partis, scilicet Meditationis, Aspirationis, & Contemplationis, tam negatiui, quam affirmatiui modi, necessarias; post aliqualem